

bendæ assignantes sibi stallum in choro, & locum in capitulo Ecclesiæ supradictæ Aquensis inducendo eundem in dictam Ecclesiam aperiendo, & claudendo ostium, imponendo in manibus ejusdem funes campanæ, tobaleas altaris, & de terra dictæ Ecclesiæ in signum possessionis prædictæ. Qui Bartholomeus immediate juravit ad sancta Dei Evangelia tacto libro observare constitutiones canonicorum, & dictam Aquensem Ecclesiam tangentes ibi lectas, & divulgatas per Joannem de Quiregio canonicum supra-<sup>10</sup> dictum, & occasione canonicatus prædicti, de quibus omnibus, & singulis supradictis Dominus Episcopus, & dicti permutantes præceperunt fieri publica instrumenta per me Laurentium Notarium infra scriptum ad consilium sapientis.

Et ego Laurentius Blanche clericus Traiectensis Diocesis publicus Imperiali auctoritate notarius prædictis interfui, & rogatus scripsi ecc.

*Licentia deferendi vestes laicales concessa Martino de Guaschis Canonico Alex. ab Ep. Aq.*

318

MCCCLXV.

Guido Dei gratia Aquensis Episcopus, & Comes dilecto nobis in Christo discreto viro Joanni Martino de Guaschis canonico Ecclesiæ collegiatæ sancti Petri de Alexandria nostræ Aquensis Diocesis salutem in Domino. Tua supplicatio nobis exhibita continebat, ut quia in mensa, & alibi nobis servis, & etiam nobiscum, & alibi oporteat te cum multis nobilibus laicis conversari, dignemur de gratia speciali tibi concedere, quod non obstante privilegio clericali possis incedere cum robis, & vestimentis laicalibus, & ideo annuentes tuæ supplicationi præmissæ tenore præsentium tibi concedimus, ut non obstantibus aliquibus constitutionibus provincialibus, & sinodalibus, atque privilegio clericali possis portare quascumque vestes tuas volueris, & potueris, & in ipsis, & cum ipsis incedere quotiescumque, & ubicumque tibi opportunum fuerit, & volueris, sine præjudicio aliquo. In quorum testimonium præsentibus fieri jussimus nostro sigillo munitas usque ad nostrum libitum duraturas. Actum, & datum in castro novo Bestagni, die VII. augusti, anno Domini MCCCLXV. tertia indictione præsentibus Gulielmo de Oddono, Gulielmo Caranti de Incisa, & Jacomolo Regis de Quiregio testibus ad præmissa vocatis, & rogatis.

*Indulgentiæ dantibus elemosinam pro Cœmeterio de Russiglione.*

319

MCCCLXV.

Guido universis, & singulis D. N. J. Christianis fidelibus has literas inspecturis salutem, & sinceram in Deo charitatem. Quum cœmeteria, quæ græco vocabulo Poliandra vocantur, debeant esse clausa, & sub clausura consistere taliter, quod corpora fidelium defunctorum ibidem requiescere valeant, & expectare Resurrectionem universalem, quam fides catholica protestatur, ideo cum cimiterium Beatæ Mariæ de Russiglione nostræ Aquensis Diocesis ex propinquitate fluvii, & ex aliis multis

causis indigeat inter alia cimiteria esse clausum, ne corpora, & ossa fidelium ibidem existentium dispergantur, ea propter universis Christianis fidelibus, qui ad clausuram dicti cimiterii manum porrexerint adjutricem consuetam indulgentiam, dummodo sint vere pœnitentes, & confessi, vel qui erunt in posterum misericorditer indulgemus. In quorum testimonium ecc. Dat. in castro nostro Bestagni, die VIII. augusti, anno Domini MCCCLXV.

*Licentia Episcopi ingrediendi Reclusum in Russiglione cum indulgentiis operantibus ejus constructioni.*

MCCCLXV.

320

Guido Dei gratia Episcopus Aquensis, & Comes universis, & singulis D. N. J. Christianis fidelibus salutem in eo, qui est omnium vera salus. Cum Margarita de Peceto, ut asseruit coram nobis, ex devotione sui pectoris, & ob remissionem suorum peccatorum affectat summis desideriis intrare Reclusum prope Russiglione fiendum, & constituendum ex devotione fidelium hominum dicti loci, & a nobis petierit licentiam specialem dictum Reclusum intrandi, & perseverandi in eo Domino concedente, & B. V. Gloriosæ, nosque devotionem sui pectoris attendentes eidem Margaritæ licentiam concessimus introeundi, & standi suis temporibus, ut præmittitur, Domino annuente. Idcirco omnibus Christianis fidelibus vere pœnitentibus, & confessis, vel qui erunt infra X. dies a data præsentium numerandis, qui ad factionem dicti Reclusi, & quod plus est ad sustentationem vitæ, & contemplationem prædictæ manum porrexerint adjutricem quadraginta dierum indulgentiam eidem in Domino concedimus, & indulgemus. In quorum omnium testimonium has nostras literas fieri mandamus, & sigillo nostro sigillari. Dat. in castro nostro Bestagni, die VIII. augusti, anno Domini MCCCLXV., indict III.

*Indulgentiæ elemosinam dantibus pro hospitali sancti Spiritus civitatis Aquensis.*

MCCCLXV.

321

Guido Aquensis Episcopus, & Comes dilectis nobis in Christo universis, & singulis Christianis fidelibus tam clericis, quam laicis Aquensis Diocesis, ad quos præsentibus pervenerint, salutem in Domino sempiternam. Quoniam, ut ait Apostolus, omnes stabimus ante tribunal Christi recepturi prout in corpore gessimus, sive bonum fuerit, sive malum, oportet nos diem mansionis extremæ misericordiæ operibus prævenire, ac æternorum intuitu id seminare in terris, quod cum multiplicato fructu in cælis recolligere valeamus, firmam spem, fiduciamque tenentes, quod qui parce seminat, parce & metet, & qui seminat in benedictionibus de benedictionibus, & metet vitam æternam. Quum igitur ad sustentationem pauperum, & egenorum, aliarumque miserabilium personarum confluentium ad hospitale sancti Spiritus de suburbiis de Aquis propriæ non suppetant facultates, nisi a Christianis fidelibus subveniatur eidem, vos & vestrum quemlibet mo-